



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

10. Generalis electus, mox vt se gesserit; Societas propagatur. piæ aliquot
fundationes agente Ignatio eriguntur stabiliunturque.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

gloriam vtilitatemque ecclesie, tum
religiosos votis illigatos, tum caput à
quo gubernaretur, habuit.

CAPVT. X.

*Generalis electus, mox vt se gesserit; Socie-
tas propagatur. pie aliquot fundatio-
nes agente Ignatio eriguntur stabiliun-
turque.*

**Gene-
ralis
factus
quid
agere
cepe-
rit.**

FACTUS Generalis ordinis Magister
Ignatius tale sui muneris duxit ex-
ordium: postridie surrexit bene manè
de lecto & à somno reliquos excita-
uit. Nam assiduam suorum curam ge-
rere suarum partium existimabat, effi-
ciendumque vt suum munus quisque
præstaret. Atque vt quò sublimiorem
dignitatis gradum adscenderat eò
magis etiam sese demitteret, culinam
ingressus in eius officiis multis se die-
bus exercuit; tantaque alacritate ad
alia vilissima quæque ministeria do-
mus accessit, vt ea tractare tanquam
nouitius ad progrediendum in virtu-
te longius, ad coercendas sensuum cus-
piditates abdicandamque voluntatem
videre.

B. P. Ignatij.

videretur. Doctrinam deinde Christianam tradere aggressus, eiusque rudimentis in æde nostra puerorum animos atque ignaræ plebis imbuere, sex & quadraginta ipsos dies in expositione mandatorum, symboli, ceterorumque fidei nostræ mysteriorum continenter posuit. Qui licet ut homo peregrinus Italicè loqueretur, orationemque proferret ad audientes impropriad & incultam, verborum tamen grauitas magnos in eorum animis motus excitabat. Cumque docendi finem fecisset, multi repente sacerdotem adibant acri peccatorum dolore perculsi, atque ad eius pedes genibus nixi tantos eiebant gemitus, ut inter confessionem nimia vi lacrymarum crebrius insisteré, & vocem interrumpere cogerétur. Testis huiusce rei sum locuples, & quia tum è pueris nondum excefferam, quæ docuisset ipse pridie, ego postridie recolere solebam. Huc accedebat labor nouellæ Societatis radices altius figendi totoque orbe propagandi. Eandem quotidianis ipse orationibus alebat, prudentia

dentia gubernabat, caritate accendebat, animi magnitudine defendebat, denique ad virtutem acuebat eximia probitatis exemplo. Ad hæc Deus qui eum nec opinantem ad tale opus delegerat, tantam ei gratiarum copiam largitus est, vt quidquid susciperet absolutum illico perfectumque iri, certum atque exploratum videretur.

Primo
post
confir-
matio-
nem
suam
anno
Socie-
tas mi-
re pro-
paga-
tur.

Tantum quippe valuit eius virtus & industria, vt ab Apostolica Sede confirmata Societas (quod est omnino mirabile) minimis initiis ita creuerit, vt vnus anni spatio cancellis suis egressa, sese in Galliam, Italiam, Germaniam, Hispaniam, Lusitaniam, Hiberniam, Indiamque occidentalem effunderet.

Præfuit B. Pater Societati annos quattuordecim, menses tres, dies nouem à decimo Kal. Mai. MD. XL. vsque ad prid. Kal. August. anni MD. XLVI. quo die discessit è vita. Hoc interim spatio nūquam Roma nisi bis abfuit, semel cū in regnum Campanum profectus, iterum cū Oruictam vt ad Paulum III. Pont. Max. de grauis

grauissimis negotiis referret, quæ duobus hisce temporibus casus obtulerat. Interim in hac cura versatus est, ut stabiliret & gubernaret ipsemet Romanam domum, quæ esset mater ceterarum, vnde nostros varias in partes mitteret concionandi gratia; iis præceptis instructos quorum normam ac regulam secuti, dignè Christi ministerio fungerentur. Sed quia Societatis integritas, famaue Dei beneficio manabat in dies latius, quæ mirificè valebat ad conciliationem animorum, ob idque multi collegia expetebant, ut eius doctrinæ laborisque fructum perciperent, hoc etiam agebat ut hanc prouinciam quibus in locis magis necessarium videbatur idoneis in primis hominibus probatissimisque manderet, & ipsa Societas tanquam nouella quædam planta, quam Deus in ecclesia pro sua bonitate volebat longè latèque propagari, radicibus firmata conualesceret. Denique quia B. Patrem eiusque familiam dæmon iam inde ab initio ferre non poterat, falsisque criminationibus & calumniis

Occupationes Ignatij Romæ.

cam

eam identidem onerabat, acriter tum maximè à se suisque depellèdas ratus, veritatem mendacio opprimi minimè patiebatur.

Opera
piaque
funda-
tiones
quas
Romæ
procu-
ravit.

Verùm, quia domesticis oneribus tantis ac tam grauibus contentus esse non poterat, quibus vel robustissimus quisque succubuisset, ad externos etiam se transferebat, & eos ingenti caritate ad salutem vocabat. Laboravit enim vt inueterata quædam Romæ vitia tollerentur, eaque statuerentur quæ essent cum hominum salute coniuncta; in quibus illud fuit, vt lex Innocentij III. iam intermortua renouaretur, qua cauetur, ne medicus possit egroto operam studiumque nauare, priusquam animus sit sacra delictorum confessione purgatus. Deinde vt locus in vrbe decerneretur Iudæis & infidelibus alendis, qui vellent lucem veritatis aspicere. Ab eo profecta sodalitas illa quæ in cœnobio B. Marthæ constituta, à Gratia Mariæ nomen accepit; in quam vsque eo reciperentur profligatæ mulieres siue matrimonio iunctæ siue liberæ, quoad viris reconcilia-

cilia-

B. P. Ignatius.

67

ciliarentur, vel ad meliorem frugem reuocarentur. Quæ res pro ardenti sua caritate adeo ei cordi fuit, vt cum è cœno peccatorum emerfissent, eas nonnunquam luce palam ad B. Marthæ comitaretur; nec ætas, nec quæ valebat auctoritas, nec dignitatis gradus in quo Deus eum collocarat ab hoc officio retardaret. Cùm verò quidam obiicerent in his mulierculis fere operam perdi, quippe cùm inueterata peccandi libidine, facilè ad ingenium redire, inque eadem vitia relabi soleant: Minimè, inquit, immò si omnibus vitæ meæ curis & vigiliis id efficere possum, vt harum aliqua noctem vnã peccatis vacuam ducat, bene feliciterque susceptas arbitror, vt vel exiguo illo tempore diuina maiestas non offendatur.

Nec minori cura pupillorum orbitati subuenit, eius enim opera assignatæ sunt habitationes duæ pueris ac puellis, quæ amissis parentibus, omnibus pariter vitæ commodis essent destitutæ. Denique maiorem in modum laborauit, vt constitueretur cœnobium

bium S. Catharinę vulgò de funariis
 asylum commune virginum; quę vel
 egestate vel sua negligentia, vel per-
 fidia matrum, pudicitię discrimen
 adirent. Atque vt eximius hic in
 proximos amor & in rebus pro Deo
 agendis animi constantia magis elu-
 ceret, Deus in ipsum sauas subinde
 tempestates indidem oriri patiebatur,
 quę tandem ad veritatem tanquam
 ad scopulum allisę frangebantur om-
 nes; vnde magis eius acta confirma-
 bātur, & sanctitas euadebat illustrior.
 Fidem superare videbatur, vt vnus
 sustineret tot onerum grauitatem qui-
 bus beatus hic Pater premebatur im-
 becilla præsertim ac tenui valetudine.
 Nam præter eas de quibus diximus
 occupationes quę multos etiam bene-
 fanos defatigassent, accipiebat quo-
 tidie litteras ex omnibus orbis pænè
 partibus, à principibus omnisque ge-
 neris optimatibus, quibus alius pre-
 ces, alius consilia, alius eius indu-
 striam suis in negotiis exposcebat:
 multi item pro beneficiis ex labore
 filiorum acceptis, gratulabātur: mitto
 cetera

cetera, quibus procul dubio fractus debilitatusque succumberet, nisi Dei ope sustentaretur; qui ita leuabat Ignatium, ut quò esset infirmior, inque onere tam graui quo magis humano esset auxilio destitutus, eò maiorem præferret alacritatem, Deique virtus magis in eius infirmitate splenderet. Denique B. Pater animi virtute corporis debilitatem subleuabat, huius vitæ labores patienter ferebat, ex vnius diuinæ nutu voluntatis suam pendere desiderans. Sed quamuis ita se res haberet, tanta cupiditate tamen Dei videndi fruendique ardebat, ut nunquam de morte sine lacrymis gaudio fluentibus cogitaret.

CAPVT. X.

Ignatij felix exitus, sepultura, oris & corporis conformatio.

Quamobrem ingrauescente iam ætate, morbis oppressus, turbulentis ecclesiæ temporibus afflictus, Christique intuendi desiderio, gemitibus eum obsecrauit, ut huius vitæ
exilio